

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Observationvm Sacrarvm In I. Samvelis Capvt II.
Specimen, Qvo Venerando Patri D. Io. Christophoro
Koechero De Regimine Academico D. XI. Avg. MDCCLXX.
Svscepto Pie Gratvlatvr M. Hermann. Frider. ...**

Koecher, Hermann Friedrich

Ienae, [MDCCLXX?]

VD18 12966932

urn:nbn:de:gbv:45:1-14951

Theol. VI 119 (2)




OBSERVATIONVM SACRARVM
IN
I. SAMVELIS CAPVT II.
SPECIMEN

QVO
VENERANDO PATRI
D. IO. CHRISTOPHORO
KOECHERO

DE
REGIMINE ACADEMICO
D. XI. AVG. MDCCLXX. SVSCEPTO
PIE GRATVLATVR
M. HERMANN. FRIDER. KOECHERVS.



IENAE
EX OFFICINA FELICIS FICKELSCHERRII.





בשש

OBSERVATIONVM PHILOLOGICO-EXEGETICARVM
IN
I. SAMVEL. CAPVT II.
SPECIMEN.



Proponimus hic lectoribus nostris specimen observationum nostrarum in libros Samuelis sacrarum, quod si non iniucundum fuerit aequis eiusmodi laborum arbitris, non solum nobis haud inutilem laborem nos suscepisse persuadebit, sed etiam opportunam inde nanciscemur occasionem; observationum nostrarum in libros Samuelis syllogen eo citius in lucem publicam emittendi. Haud versamur in hisce observationibus nostris circa omnia ac singula commata huius capituli, sed partim difficiliora loca nobis elegimus, partim ea, quae aut ab aliis interpretibus praetermissa aut minus recte notata sunt, suo loco attulimus. Nemini interim meritas laudes detrahemus, propriae infirmitatis nostrae probe memores, neque detrectabimus amicas admonitiones amicorum nostrorum, aliorumque qui aequi fuerint iudices, rerumque harum periti arbitri, quibus etiam nos et specimen hoc nostrum de meliori commendamus.

III

A 2

Vers. 8.



—  —
Vers. 8.

פִּנְיָ אֲרָץ Fundamenta terrae. Cum Hanna in hoc versu antea dixisset, *Jehovam elevare tenuem de pulvere et exaltare egenum ex stercore, ut cum principibus sedeant, et facere illos haereditate consequi thronum gloriae, statim addit: nam Iehovae fundamenta (cardines, bafes) terrae (scil. curae), et disposuit super illis orbem.* In antecedentibus Hanna itaque mentionem fecerat pauperum atque egenorum. Hi ipsi in sacris litteris haud obscure appellantur cardines et fundamenta terrae. Referenda huc duximus loca quaedam ex Psalmis Davidis, nempe Psalm. LXXV, 4. II. et Psalm. LXXXII, 3. 4. 5. In priori loco de seipso gloriatur Psalter regius: *ego confirmo vel stabilio columnas terrae.* His praemiserat in praecedenti commate 3. promissum, sese recte iudicaturum esse terram, et in consequentibus subiungit severam increpationem eorum, qui nimia potentiae suae confidentia ducti ex libidine omnia agunt, pauperes et afflictos iustos homines (coll. comm. II.) opprimunt, non reformidantes eum, qui humiliat et exaltat, supremum terrae iudicem. coll. comm. 8. Alter locus, quem ex Psalmis adduximus, paulo clarior est. Ibidem enim, cum praecepisset Davides curam pauperum, orphanorum, et egenorum gerere versu 3. subiungit comm. 5. ex ea ratione, quoniam hoc negligatur, fundamenta terrae nutare atque ruinae esse proxima, ubi quidem salus rei publicae cum salute pauperum proxime coniungitur. Hinc nobis videtur *R. David. Kimchius* ad h. l. iatis apte per fundamenta terrae intelligere homines iustos, propter quos mundus sustentetur et conservetur. Conferri merentur hic loca sacri codicis Genes. XVIII, 26. seq. Ezech. XXII, 30.

Vers. 10.

Quamvis sint interpretes haud pauci, qui in toto cantico Hannae literaliter prophetiam de Christo eiusque regno quaerunt, nobis tamen haec sententia minus arridet, cum totum hoc canticum, si sensum litteralem spectemus, solummodo Samuelis Deo consecrati fata respicere videatur, licet concedamus, mystice applicari eadem posse ad regnum Christi. Si consulamus contextum, res erit satis clara. Commate octavo aperte Samuelis elevatio ex paupere in iudicem innuitur. Versu nono mater preces ad Deum fundit pro conservatione Samuelis in vita percussis filiis Eli, aut si mavis de hac conservatione ibidem vaticinium habetur, cuius complementum cap.

III, 18.

III, 18. IV, 11. legimus. Videamus nunc, annon etiam ea, quae hoc versu decimo dicantur, ad Samuelem nostrum applicari queant. Hoc commate facta ad Deum apostrophe, primo preces pro salute Samuelis funduntur, deinde potiora ab eo gerenda exhibentur, hoc sensu: *Domine! qui cum ipso litigabunt, conterantur*, quo sine dubio respicitur ad Philistaeos. cap. VII, 7. seq. Pergit Hanna: *super eum* (scil. Samuelem, in protectionem eius, propter eum) *tonabit Dominus de coelo*, quod factum fuisse legimus non tantum contra Philistaeos, sed etiam in testimonium innocentiae Samuelis, cum Israelitae propter eum *ῥαγλας* respuere et regem sibi expetiisse viderentur. vid. 1 Sam. VII, 10. XII, 17. 18. Porro hoc commate adiungitur aliquid de hac ipsa mutatione reipublicae, quod durante *ῥαγλας* per Samuelem administrandum sit his verbis: *Dominus iudicabit* (per Samuelem) *fines terrae Canaan*. 1 Sam. VII, 15. seq. Denique transit ad imperium mutandum, his verbis: *et dabit robur regi suo*, Sauli nempe a se ad populi votum substituto. 1 Sam. X. tot. imprimis comm. 24. Tandem additur: *et exaltabit cornu uncti sui*. Per unctum intelligimus Davidem patrem Messiae a Samuele quidem unctum, nondum vero tunc regnantem, cuius cornu tamen vivente adhuc Samuele exaltabatur, ita ut David in aula Saulis et coram populo magis magisque inclaresceret. vid. 1 Sam. XVI, 1. 13. 22. XVIII, 7. et alibi. Plura ad explicationem huius excellentis cantici congescit IO. MARCKIUS in fasciculo dissertationum philologico-exegeticarum ad selectos textus veteris Testamenti. Exerc. VI. tota. pag. 243. seq.

Vers. 25.

Mirum in modum tum verba Eli hoc commate adducta, tum ea quae addidit scriptor sacer, ingenia et industriam interpretum exercuerunt. Quod ad verba Eli attinet, quae hoc in loco recensentur, potiores interpretum sententias de eorum sensu adduxerunt SEBAST. SCHMIDIUS ad h. l. et IO. FRANCISC. BVDDEVS in *Histor. eccles. V. T. Tom. I. Period. II. Sect. II. §. XII. pag. m. 923. seq.* GVILIELM. ESTIVS in *annotationibus ad h. l. pag. 202. et* IO. SAVBERTVS in *palaestra theologico-philologica pag. 202. seq.* vocem *אלוהים* de Deo accipiunt, vt a minori ad maius verbis concludatur, hoc sensu: *Si ille, qui in proximum suum, aliquem hominem mortalem, eundemque peccatis, irae et affectibus obnoxium peccaverit, Deum experietur vindicem, eiusque iudicium non effugiet, quanto certius gravissimo et inevitabili Dei iudicio*



dicio subiacebit ille, qui in Deum aeternum, immortalem, et sanctissimum peccaverit. Idem sensus ab ipso repetitur in *spicilegio explicationis selectiorum S. S. dictorum, inserto Miscellanæ Groninganis Tom. I. Fascic. I. pag. 1. 4.* Contra hanc interpretationem præcipue pugnavit b. BVDDEVS *loc. cit. pag. 923. seq.* qui אֱלֹהֵי־יָדָי de iudice seu magistratu exposuit, ut itaque hic oriatur inde sensus: *Si quis alium hominem læsit, et propterea in ius vocatur, auctoritate et sententia iudicis lis finitur, in qua et læso acquiescendum sit: at aliter se res habet, si quis Deum immortalem et præpotentem læserit, cuius iram, si is, qui eum læsit, non respuerit, nemo sistere queat.* Huic interpretationi quoque assensum præbuit HENR. BENED. STARKIVS in *notis selectis criticis in V. T. Part. I. pag. 166. seq.* SAVBERTI sententiam secutus est b. IO. REINH. RVSIUS qui in *harmonia evangelistarum Tom. I. pag. 1012.* nostrum locum ita exponit: *Si peccabit vir adversus virum, punire illum vult Deus trinunus, iustissimus vindex; sed si in Iehovam quis peccabit, quis intercederet pro illo, ita nimirum, ut impune abeat?* In tanta sententiarum de hoc difficili loco diversitate sequentia nobis observanda videntur. Primo indagandum erit nobis, quid in hoc loco per vocem פָּלַל significetur. Concedendum omnino erit Lexicographis, SAVBERTO, BVDDEO, STARKIO aliisque, hoc verbum, quoties in *Hithpael* occurrit, verti posse: *orare, intercedere, in Piel vero non aliter nisi per iudicare* exprimi debere. Deinde vocem אֱלֹהֵי־יָדָי quod attinet, eam cum SEBAST. SCHMIDIO ad h. l. SAVBERTO, RVSIO et GEORG. LVDOV. OEDERO in *der neuen und gründlichen Erläuterung schwerer Schriftstellen Tom. I. pag. 851.* proprie de Deo accipiendam esse arbitramur, pro quo significato proprio imprimis militat forma pluralis huius vocis cum verbo singularis numeri constructa, quae constructio nusquam occurrit, quoties vox אֱלֹהֵי־יָדָי iudices notat, quod argumentum prae aliis urget b. RVSIUS loco supra citato. Hinc significatio propria verbi פָּלַל nobis videtur esse: *arbitrari, arbitrium ferre causam cognoscendo, excusationes reorum audiendo, accusatos excusando, et partes inter se conciliando, quae nobis ex locis sacri codicis Psalm. CVI, 30. Ezech. XVI, 52. constat, et haec ipsa quoque hoc in loco videtur obtinere, ut sensus verborum Eli sit: Si vir in virum peccet, Deus ipsi solet arbitrium ferre, largiri cognitionem causae, audire excusationem suam, propitiam ferre sententiam; sed si in Dominum vir peccet, quis ipsi Deo sese arbitrum consti-*

constituet? ut scilicet causam cognoscat, excusationes audiat, apud Deum intercedat, vel quacunque alia ratione pro peccatore sententiam ferat meliorem. Posterioribus verbis Eli respicit ex coniectura nostra intercessorem summum generis humani Iesum Christum, 1. Io. II, 1. quem Iehovam appellavit, cuius etiam ipse sacerdos Eli typus erat. Cum enim filii Eli maxime circa sacrificia Deo oblata, quae typice unicum et perfectissimum Christi sacrificium adumbrabant, delinquerent, quod patet ex comm. 13. 16. hoc ipso ii simul in Christum, antitypum horum sacrificiorum, eumque humani generis intercessorem gravissime peccabant, filium Dei ipsum ludibrio habebant, et sanguinem foederis profanabant. Nullam sane hoc laeso intercessore sperare poterant intercessionem, sed potius horrenda expectatio iudicii divini eos manebat. Hinc verba haec Eli optime cum iis consentiunt, quae auctor epistolae ad Hebraeos cap. X. comm. 26. 27. 29. 31. scripsit. Simul autem Eli his verbis innuere voluit: nihil vobis itaque, hic in tristissimo rerum vestrarum statu superest, nisi vera poenitentia, ut vos humiles a Deo veniam delictorum vestrorum petatis, ut vos coram eo, qui, cum gravissime a vobis laesus sit, ipse etiam arbiter et iudex erit iustissimus, supplices adoretis. Hac et nulla alia via gravissimas Dei poenas a vobis avertetis. In priori huius propositionis hemistichio asserere videtur Eli, Deum in peccatis ab homine in hominem commissis sententiam mitiorem ferre posse in reos. Fieri solet hoc variis ex rationibus, tum quoniam reus poenitentiae suae documenta exhibuerit, quod illustrari potest exemplo Achabi, de quo vid. 1 Reg. XXI. 21. 27. 29. tum ob divinam longanimitatem. vid. Psalm. XXXVII, 35. et LXXIII, 3. seq. Hinc concludi potest, quotiescunque peccata hominum in homines alios etiam adversus Deum commissa fuerint, toties eadem non posse remitti, nisi vere poenitentibus. Ex his quoque illustrari possunt verba Davidis Psalm. LI. 6. *Tibi soli peccavi.* Adfert ibi David serio poenitens argumentum veniae peccatorum sibi facilitandae ita comparatum, ut impiis et non poenitentibus argumentum fuisset poenae non evitandae, nimirum hoc, quod non adversus hominem, sed adversus Deum potius ipsum a se peccatum fuerit, ut sensus horum verborum sit: Tu solus es legislator quem gravissime laesi, tuas leges non humanas sed divinas transgressus sum, tu etiam poteris solus mihi poenitenti veniam dare. Petit Davides his verbis veniam peccatorum suorum a Deo, quate-



quatenus in Deum eadem commissa fuerant, quatenus verò in alios homines peccaverat, eatenus saltem confessione et satisfactione laesis hominibus praestanda opus erat, et ob homicidium Uriae capitis poena subeunda. vid. 2. Sam. XII, 10. 11. Caeterum de sensu vocis וַיִּתְּפֹלֵל, quam reddidimus *arbitrum constituet*, conferenda omnino erunt ea, quae b. DANZIUS noster attulit *Interpr. §. 57. l. 1. not. c. pag. 116. edit. Tymp.*

Simili ratione quoque de ultimis verbis huius commatis, quae *Castellio* vertit: *quod Iehova eos volebat occidere*, diversimode sentiunt interpretes sacri, quorum potiores sententias recensent NOLDIUS in *concordant. partic. hebr. not. 1342.* BVDDEVS in *histor. eccles. V. T. Tom. I. Period. II. Sect. II. §. XII. pag. 924.* et STARKIUS in *notis selectis exegeticis ad h. l. Part. I. pag. 167. seq.* Imprimis haerent circa particulam וַיִּ, cui modo hanc modo aliam significationem tribuunt. Sic STARKIUS interpretatur: *quia volebat Iehova occidere eos.* SAVRIN in *den Betrachtungen über die wichtigsten Begebenheiten der H. S. Tom. I. pag. 1404.* explicat: *ita ut Iehova vellet occidere.* Plerique nostrae ecclesiae doctorum particulam hanc *ideo*, *idcirco* reddendam esse censent, quorum in numero sunt GLASSIUS in *Philologia sacra Lib. III. tract. VII. can. XXI. pag. 1132.* DANZIUS in *Interpr. hebr. §. 141. l. 3. not. 2. pag. m. 341. edit. Tymp.* BVDDEVS loco cit. NOLDIUS in *Concordant. partic. hebr. pag. 369. edit. Tymp.* quibus ex Remonstrantium Theologis addi potest SIMON EPISCOPIUS, qui *Institut. theolog. Lib. IV. cap. 15. Operum Tom. I. pag. 396.* scribit: *Nihil vetat, particulam וַיִּ hoc loco exponere per idcirco, ut non sit causalis particula, sed rationalis, ab effectu sic dicta, qui ratio illationis est, non causa.* Verba eiusdem in *lectionibus sacris in caput II. et III. Apocal. operum Tom. II. pag. m. 537.* haec habentur: *Sensus horum verborum esse potest, et est nostro iudicio hic: Aliquid enim subaudiendum est ad faciendam connexionem ita: Illi non audiebant vocem patris sui, quia scelestissimi et pessimi erant; pessimos autem fuisse eos constat ex eo, quod Iehova iam decreverat eos occidere, proinde etiam nova gratia non donare.* Nobis etiam arridet explicatio huius particulae per *ideo*, modo notetur, Deum mortem filiorum Eli haud absolute decrevisse, sed inobedientiam et improbitatem eorum Deum commovisse, ut pro iustitia sua terminum vitae ipsorum abrumperet, quod probe ven. PANZERYUS in *notis Bibliis Antideist. Nelsonianis adiectis ad h. l. monuit.* Optime

b. 10.

b. 10. GERHARDVS in *locis theologicis Tom. II. loco IX. de providentia §. 121. pag. 32.* sensum horum verborum ita expressit: *Deus propter gravissima eorum peccata corda ipsorum iam antea satis dura et lapidea induravit, ut non audierint vocem patris sui, ac proinde describitur in his verbis iudicaria Dei ad meritas poenas contumaces destinantis voluntas, per quam completa peccatorum mensura immorigeros, et contumaces hos liberos ad meritas poenas revocare constituit.*

Vers. 30.

Plerique interpretum nostrorum statuunt, Eli fuisse iudicem et summum sacerdotem simul. Hinc etiam fingunt, dignitatem summi sacerdotis ad familiam Ithamaris translata fuisse. Qua ratione vero id factum fuerit, cum plurimi adhuc ex stirpe Eleasarum, cui perpetuum sacerdotium promissum fuerat Num. XXV, 13. superfuerint, ipsis haud constat, cum sacer codex huius translationis nullam faciat mentionem. Non negamus, doctissimos viros huius sententiae fautores esse, ex quibus unum tantum IO. FRANC. BVDDEVN *Histor. eccles. V. T. Tom. I. Period. II. Sect. II. §. XII. pag. 922.* nominamus. IO. SELDENVS in opere suo *de successione in Pontificatum Ebraeorum Lib. I. cap. 2. pag. 110. edit. Francof.* aliorum tantum sententias hac de re attulit, suam vero haud adiciere ausus est. Narrat idem SELDENVS, Rabbinos translationem Pontificatus in familiam Ithamaris ex nostro versu 30. probare velle. Videamus an haec probatio fundamento quodam nitatur necne. Ex nostra quidem coniectura Eli, cum ex familia Ithamaris fuerit, non fuit Pontifex maximus, licet fere plurimi illud statuunt, sed saltem eum fuisse primarium virum ex familia Ithamaris Aaronitica, sacerdotem primarium post summum pontificem, quem ordine secutus est, conicimus. Quamvis autem non fuerit summus Pontifex, tamen ipsius et filiorum eius occupationes frequentissimas extitisse circa vulgaria et quotidiana populi Israelitici sacrificia, constat ex 1. Sam. II, 13. Atque hoc ipsum sacrificia offerendi ius ipsi competebat, quoniam summus sacerdos sive propter senectutem, sive ob filiorum paucitatem, quod ex genealogia Eleasarum 1. Paral. VII, 5. seq. patet, si conferamus numerum annorum, qui a tempore Pinehae usque ad tempora Davidis effluerunt, sive ob alia officii sui munera forte non poterat curam huius rei gerere. His positis, verba huius et sequentis commatis non intelligenda erunt de sacerdotio summo. singulari aff-

B

qua





qua permissio divina ad familiam Ithamaris translato, sed potius de iure offerendi sacrificia, quod familiae Aaronis integrae et soli collatum fuerat, cum reliqui Levitae tantum ministrarent. vid. Exod. XXVIII, 1. Num. III, 6. 7. 8. VIII, 15. 19. In familia Aaronitica hoc ius sacrificia offerendi Deo tantum senioribus atque presbyteris competebat, quod ex commate 31. capituli nostri colligimus, qui seniores non tantum secundum aetatis annos, sed sicut a primogenito familiae primi capituli patrum, e. g. a primogenito familiae Ithamaris, descendebant, videntur constituti, reliquis interim ex familiae Aaronis oriundis haud multo maiori gaudentibus iure, quam Levitis aliis. Hoc ius etiam atque hunc ipsum dignitatis gradum Deus in his versibus familiae Eli ademit, ita ut posthac iisdem non amplius uti neque presbyterii honore frui, sed illum alteri familiae cedere debeat, quod praecipue versu 32. significatur. Quod si vero etiam largiamur, Eli eiusque familiam summi sacerdotis munus administrasse, illud tamen ex aliis sacri codicis praeter hoc nostrum essatis probandum est. Adferuntur etiam hanc in rem loca sequentia 1 Sam. XIV, 3. XXII, 9. 10. 13. 15. XXIII, 6. ubi refertur, asservatum fuisse in hac familia Ephod et Marc. II, 26. ubi Abiathar expresse dicitur *Ἀρχιεπὸς*. Videtur autem, si etiam hoc concedamus, ob defectum filiorum Pinehae hoc munus per aliquod saltem tempus ad familiam Eli pervenisse, ut Eli quasi vicarius summi sacerdotis fuerit, quod eo minus mirari debemus, cum ipse hic Eli iam tum iudex Israelitarum existeret, 1 Sam. IV, 18. quod iudicis officium modo ex hac modo ex alia tribu Israelitarum viris praestantissimis demandatum fuerat, uti patet ex locis Iudic. II, 16. III, 9. 15. IV, 6. VI, 11. XI, 1. XIII, 2. 24. 25. 1 Sam. I, 1. coll. VII, 15. inter se collatis. Quod ad Ephod attinet, LVDON. VIVES in *notis ad Augustinum de civit. Dei Lib. XVII, cap. 5.* quidem arbitratur, eiusmodi Ephod solum summum habuisse Pontificem, simul autem concedit, Levitas aliosque forte sacerdotes habuisse aliud Ephod huic simile, quod כִּתְּוֹן *tunica lineae* vocatur, 1 Sam. II, 18. 2 Sam. VI, 14. quod etiam pluribus confirmavit BRAUNIVS in *Commentario de vestitu sacerdotum Hebraeorum Lib. II. cap. VI. pag. m. 479.* et PETRVS MOLINAEVS in *Vate pag. 42. seq.* Certe in hoc nostro loco Deus de officio summi sacerdotis nequaquam agere, neque ad illum ipsum respicere videtur. Hoc ipsum etiam apparet ex commate 28. ubi distincte Deus memorat, quod dederit patri Eli Aaroni

ius

ius holocausta accendendi, adolendi suffitum, portandi Ephod coram Deo, et quod dederit domui patris eius seu familiae Aaroniticae ignes seu oblationes filiorum Israelis, ubi vero nulla fit mentio summi sacerdotii. Cum ipse Deus quoque commate 29. tantum animadvertisset contra peccata circa oblationes filiorum Israelis commissa, etiam versu 30. seq. tantum ea, quae familiae Eli et patris eius promissa fuerant, mutanda esse dicit, non vero ea quae patri familiae eius, ipsi Aaroni fuerant demandata, quo imprimis pertinet officium summi sacerdotis.

Vers. 31.

עֲרִיב *Brachium*, quod se abscissurum denunciat hoc loco Deus, et quod *Paraphrastes Chaldaeus* per עֲרִיבִי *fortitudinem* exprimit, nobis nihil aliud notare videtur, quam opes et facultates, imprimis victum et quae vitae sustentandae sunt necessaria, quippe quae brachio laboribus occupato paranda et acquirenda sunt. Sensus itaque verborum: *abscindam brachium tuum cet. erit: auferam tibi tuisque posteris officium tale, in quo brachium ipsorum aliquid possit acquirere, sed potius mendicando sibi portionem suam a malevolis suis expetere illos oportet.* Apparet hoc imprimis ex collatione versum 32. et 36.

Vers. 32.

Quae hic praedicuntur, non videntur convenientius explicari posse, quam si eadem ipsius Eli tempore impleta statuamus, cum expressis verbis ad ipsum Eli referantur. Priora verba huius versiculi optime expressit *Paraphrastes Chaldaeus* per voces: וְיִתְהִי מִסְתַּבֵּל וְיִתְהִי הוּא *et eris contemplans et eris videns cet.* quo ea quae sequuntur ad Eli refert. Sequentium verborum versio chaldaica latine expressa haec est: *eris videns in calamitate, quae erit super hominem domus tuae in peccatis, quae peccavistis coram me in domo sanctuarii mei.* Consentit cum eo quoad sensum *Symmachus* vertens: καὶ ὄψει θλίψιν κατοικήσεως ἐν παντὶ ᾧ ἐνεργηθήσεται τῷ Ἰσραὴλ, *videbis tribulationem habitaculi in quocunque benefiet Israel.* Hinc sensus commatis huius erit: *Intento oculo intueberis angustiam tabernaculi in omni, qui emendaret Israel, cum non erit senior in domo tua omnibus diebus, quasi dictum esset: Tu ipse Eli adhuc manifeste cognosces, quam male futurum sit tabernaculo, siquidem defuturum esse cernes, qui Israel emendat, redarguat, emendet, repurget.* Hoc enim notare videtur verbum וְיִשִּׁיב cum Accusativo





constructum, quemadmodum etiam Exod. XXX, 7. notat expurgare et emungere lampades in templo. Subiungit Deus: *quandoquidem non supererit unquam e domo tua senior.* Nimirum cum Eli hucusque stabilivisset et conservasset veri Dei cultum in Israele, et propter hanc causam a Deo iudex Israelis constitutus fuisset, facile poterat ipse perspicere, collapsa familia sua valde afflictas et perturbatas fore res tabernaculi Dei, quod mortuo et vivente adhuc Eli impletum fuisse legimus 1 Sam. III, 1. VII, 2. Apparet ex nostro loco simul, Eli nostrum omnino fuisse virum de vero Dei cultu meritissimum, cui cultus Iehovae curae cordique fuerit, unde etiam audita arcae foederis ablatione animo ita percellabatur, ut resupinus in terram caderet. 1 Sam. IV, 8. Saltem in eo peccabat Eli, quod ipse filiis suis nimis indulgeret, quos tamen non tantum ut parens, sed etiam ut iudex Israelis punire debuisset. 1 Sam. II, 29. III, 13. Apparet ex hoc exemplo, etiam magnos viros laborare defectibus suis, uti alias ex historia Gideonis, Iephtae et Davidis patet, quo etiam Eli nostrum referendum esse iudicamus. Psalm. LXII, 10.

Vers. 33.


Priora verba ex mente *Ionathanis* latine ita exprimuntur: *et hominem non deficere faciam tibi ex altari meo ad obscurandum oculos tuos, et ad contristandum animam tuam.* Fere eodem sensu vertit *Syrus*: *virum non auferam tibi ab altari meo, ut obscurem oculos tuos, et liquefaciam animam tuam,* cui similis est versio *רָאָה* LXX. Hinc sensus huius hemistichii erit sequens: *Et virum non* (h. e. neminem) *exscindam tibi* (e familia tua, te praesente et superstito) *a communione altaris mei, ut consumerem oculos tuos et aegre facerem animae tuae, hoc inquam non facturum sum.* Licet dixerim in praecedentibus, dicere vult, me abscissurum esse brachium tuum, nequaquam tamen illud tuo tempore faciam, neque statim te tuosque deturbabo, ne tibi aegre facerem, a iure sacerdotii. Videntur haec verba Dei itaque similia esse promissioni Achabo 1 Reg. XXI, 29. et Iosiae 2 Paral. XXXIV, 28. factae.

Et omnis multitudo domus tuae morientur viri *Syrus* textum Hebraicum presse sequitur. *Paraphrastes Chaldaeus* vocem *וישׁתׁרסו* exprimit per *יְוָנִים*, *iuvenes*. LXX. vertunt: *καὶ πᾶς περιστέων οἴκου σου πεσούται ἐν γομφαίᾳ ἀνδρῶν*, unde forte in textu hebraico suppleant vocem *בַּחֶרֶב* in *gladio*. Sensus totius

totius hemistichii erit: *integra multitudo domus tuae misere occumbet.* Hoc sensu vox מְרַבַּת in codice hebraico *magnam partem, multitudinem* significat 1 Paral. XII, 29. מְרַבַּת nostrum in loco haud videtur esse nomen aetatis, neque commode sexum denotare potest, cum praecedens vox מְרַבַּת videatur discrimen sexus non admittere, et aliunde sexus non determinari possit; sed potius nomen summam afflictionem et miseriam denotans esse, uti Ezech. XXIV, 17. 22. occurrit, nobis videtur. Forte Deus hac praedictione simul respexit ad cladem familiae Eli aliquando per Doegum inferendam, cuius historiam legimus. 1 Sam. XXII, 18. 19.

Vers. 35.

SEBAST. SCHMIDIVS in praestantissimo *Commentario in libros Samuelis ad Vers. 30. pag. m. 43.* inter alia scribit: *Versum 35. libentissime de Christo acciperem, si haberem praeuntem.* Miramur hunc antiquiorum interpretum facile principem haec scribere potuisse, cum constet, praeivisse ipsi in hac sententia plurimos priscae ecclesiae patres. Proferamus quaedam illorum loca, ex quibus haec explicatio facili negotio cognosci poterit. Sic antiquissimus Patrum latinorum, CYPRIANVS *Lib. I. Testimoniorum adversus Iudaeos cap. 17. pag. m. 26. Oper. edit. Bremens. de ann. 1690.* ad probandum, quod sacerdotium vetus cessaturum et novus sacerdos venturus sit, qui in aeternum sit futurus, post adductum locum Psalm. CX. subiungit: *Item in Regum primo (libro) Deus ad Heli sacerdotem: et suscitabo mihi sacerdotem fidum, qui omnia, quae sunt in corde meo, faciet, et aedificabo ei domum fidelem, et transibit in conspectu Christorum meorum omnibus diebus; et erit, qui remanserit in domo tua, veniet adorare in obolo pecuniae, et in pane uno.* Hinc patet, Cyprianum sine allegoricae aut typicae accommodationis aliqua mentione litteraliter et directe hoc effatum Dei de Christo accepisse. Paulo inflexa ratione EVSEBIUS in *Demonstratione evangelica Lib. IV. cap. 26.* explicat verba huius commatis, ubi non tantum verba illa directe allegat de quocunque Christiano tanquam sacerdote hic indicato, sed etiam sequentem addit explicationem: *Cum mutationem et reiectionem minetur divinum verbum non recta ratione sacerdotio fungentibus, alium ex alio genere constituere sacerdotem (Deus) promittit, quem etiam dicit transiturum esse in conspectu Christi sui.* — — *Sed quis tandem hic (sacerdos promissus) erit? Omnis nimirum, quicumque ad sacerdotium Christi cum pie-*



tate accesserit, cui quidem ecclesiae domum tanquam sapiens architectus atque aedificator, ipse universorum Deus se aedificaturum esse pollicetur, non aliam utique domum significans, quam eam, quae nominatim Christo per totum orbem terrarum erecta est, ecclesiam, ubi sane omnis, quicumque per Christum Deum sacerdos initiatus est, dicitur secundum spiritualia ministeria ea, quae ex animo et sententia Dei sunt, facturum. De Christo locum nostrum etiam accepit THEODORETUS in librum priorem Regum quaeest. X. pag. m. 530. vers. latin. Oper. edit. Colon. 1617. Postquam enim hic verba huius versus adduxerat, diserte addit: Haec autem nulli quidem homini conveniunt, sed soli Domino nostro Iesu Christo, qui, quod attinet ad humanitatem, nominatus est noster Pontifex. Hebr. IV. — — Christos autem vocavit sanctos apostolos, et qui illorum doctrinam acceperunt. Subiungit denique idem auctor: Ergo praedictio proprie quidem convenit servatori Christo, sed si spectes historiam, Sadoc, qui genus ducens ab Eleazaro, sacerdotium accepit per Salomonem. Adiungamus his AVGVSTINVM de Civitate Dei lib. XVII. cap. 5. Oper. Tom. V. pag. m. 1099. seq. edit. Paris. 1613. qui, quamvis in Eli et Samuele prophetiam facti, uti expresse scripsit, statuatur, in verbis tamen huius commatis prophetiam verbi agnoscere videtur, diserte scribens: Proinde quae sequuntur, de Christo Iesu novi Testamenti vero sacerdote dicuntur: Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui omnia, quae in corde meo sunt, et quae in animis meis sunt, faciat, et aedificabo ei domum fidelem etc. Possent his adhuc alia Patrum antiquorum testimonia superaddi, nisi ex his adductis iam constaret, meritissimum interpretem supra nominatum in hac interpretatione vix desiderare posse praesentem. Profecto quidem illustre hoc est de Christo vaticinium, quod ad neminem alium melius potest applicari, sive illud cum laudato SCHMIDIO loc. cit. pag. 53. de Sadoco, sive cum aliis de Samuele velis litteraliter agere. Unica difficultas videtur adhuc in eo residere, quod haud pateat, quomodo dici possit de hoc sacerdote, eum transire et ambulare coram Christo, si cum Christo eandem constituat personam. Si consulamus versiones antiquas, LXX. vertunt: ἰσώπιον χριστῶν. Aquila: ἰς πρόσωπον ἡλειμμενου αὐτοῦ. Symmachus: ἐμπροσθεν τοῦ χριστῶν αὐτοῦ. CYPRIANVS forte legit χριστῶν, Christorum meorum, uti patet ex loco supra adducto, quam lectionem etiam THEODORETUS retinuisse videtur, ut uncti seu Christi dicantur Christiani, Apostoli eorumque sectatores,

tores,

tores, quae interpretatio nimis coacta ab aliis merito reicitur. Si interpretationem EVSEBII consideremus, sacerdotem illum promissum significare quemlibet Christianum, libenter quidem concedimus, in ea minus difficultatis relinqui quam in priori, attamen non omne cessat dubium, neque patet, quomodo coram Christiano quolibet dici possit ambulare et adorare posteritas Eli. Haec vero obscuritas statim evanescit, quando subiectum praedicati istius, *ambulabit coram Messia meo*, constituitur *domus sacerdotis fidelis*, ut sensus sit: *Domus illa fidelis* (non vero sacerdos ille) *quam illi sacerdoti aedificaturus sum, ambulabit coram Messia meo*. Neque est, quod obiicias, haec de domo inconcinne dici, nam ipse Deus commate 30. hanc phrasin adhibuit, dicens: *locutus sum, domus tua et domus patris tui ambulabit coram me*. Opposuit itaque nostro in loco domum, quam aedificaturus est sacerdoti promisso Deus, domui Aaronis et Eli, et loco huius illam dicit ambulaturam esse, non quidem coram se, sed coram Messia suo, uncto sacerdote novi foederis perfectissimo, quippe qui secundum divinam naturam, a se, Domino illa dicente et promittente, haud existat diversus ratione essentiae. Hanc vero eamque ex nostra quidem sententia optimam interpretationem comprobavit AVGVSTINVS in loco supra adducto.

Vers. 36.

Prius commatis huius hemistichium admodum nervose laudatus AVGVSTINVS de Civitate Dei Lib. XVII. cap. 5. pag. m. 1100. ita illustrat, ut de reliquiis domus Aaronis, quarum hic mentio fit, conferat loca Esa. X, 22. et Rom. XI, 5. Quod ad verba: *veniet adorare* spectat, de illis sequentem in modum scribit: *cui adorare, nisi illi summo sacerdoti, qui et Deus est? Neque enim in illo sacerdotio secundum ordinem Aaronis, ad hoc veniebant homines ad templum vel altare Dei, ut sacerdotem adorarent. Obolum argenti autem satis eleganter idem explicat de verbo abbreviante fidei, seu, ut ipsius verba sonant, de brevitate verbi fidei, de quo verbo commemorat Apostolus dictum: *verbum consummans et brevians faciet Dominus super terram. Rom. IX, 28*. Non male haec interpretatio convenire videtur nobis cum Hebraeorum voce אגורה quae vox obolum denotat, quod obolus minimum monetae segmentum exprimat. Optime hoc sibi constaret, si hanc vocem a radice גרר derivarem, quae *secare, concidere* significat. Argentum autem hoc in loco pro eloquio poni, probat idem AVGVSTINVS ex Psalm. XII, 7. ubi canitur: *Eloquia Domini sunt eloquia pura, argentum igne examinatum*. Amplius pergit ille: *Quid ergo dicit iste, qui veniet adorare sacerdoti Dei et sacerdoti Deo? Iacta me in unam partem sacerdotii tui, manducare panem. Nolo in patrum meorum collocari honore, quia nullus est, iacta me in partem sacerdotii tui. Elegi enim abiectus esse in domo Domini, quaecumque et quantumcunque membrum esse cupio sacerdotii tui*. Videtur itaque AVGVSTINVS obolum argenti de brevi verbo fidei ipsius peten-*

petentis intelligere. *Sacerdotium*, cuius partem orabit, explicat idem auctor de ipso populo *Christiano*, qui *1 Petr. II, 9. regale sacerdotium et plebs sancta appellatur.* Simul confert ea, quae Paulus dixit *1 Cor. X, 17. Unus panis, unum corpus, multi sumus in Christo*, et *Rom. XII, 1. Exhibeatis corpora vestra hostiam vivam.* Tandem addit: *manducare panem ipsum sacrificii genus eleganter expressit, de quo dicit sacerdos ipse: Panis quem ego dederō, caro mea est pro saeculi vita. Ioh. VI, 51.* Ex his quae hucusque ex Augustino adduximus, locum hunc egregie illustrari posse, non sine causa arbitramur. Sufficiant haec, quae hucusque in caput secundum libri primi Samuelis speciminis loco observavimus. Iudicent ex his harum rerum periti, et, quod maxime in votis habeo, aequi lectores, quid de tota sylloge observationum nostrarum, quam meditamur, iudicandum sit, quibus etiam hoc specimen earundem de meliori commendamus, atque contenti erimus, si in hac nostra commentatione saltem quaedam fuerint, quae interpretibus sacrarum litterarum sint profutura.

Accedo iam ad id, cuius causa haec praefatus sum. Optimam eamque iustissimam laetitiae et gratulationis debitae praesenti tempore nactus sum occasionem. Quum enim TV, VENERABILIS PARENS, provinciam Rectoris nostrae Academiae, de communibus senatus academici suffragiis TIBI demandatam, paucis abhinc diebus, non sine plausu omnium bonorum, quintum laetis auspiciis suscepisti, mihi imprimis, qui TIBI post Deum immortalem vitam, victum, doctrinam, educationem ac fere omnia debeo, debitam pietatem ac reverentiam, qua TE prosequor, declarare, maxime incumbit. Ante omnia TIBI laetitiam meam de regimine academico TIBI felicissime tradito, publice profiteor. Deinde autem senectutem TVAM, simulque gravitatem muneris TIBI demandati, mecum reputans, pio ac religioso animo Deum immortalem imploro, velit TE magis magisque firmum reddere, vires TVAS, corporis pariter atque animi augere ac roborare, et regimini academico TVO ita prospicere, ut non solum omnia, quaecumque ad salutem nostrae Musarum sedis ages, ex voto TIBI succedant, sed etiam ut exitus Consulatus TVI academici sit, ut initium eius, felicissimus. Adsit numen, quod veneramur, supremum omnibus conatibus TVIS, atque TIBI placidam senectutem, qua ad seros usque vitae humanae terminos frui possis, concedat. Pergas me, quod maxime in votis habeo, TVO amore paterno, sicut adhuc fecisti, amplecti, quem scias TIBI omni qua decet pietate devinctissimum permanurum esse. Vale resque TVAS age felicissime. Scrib. Ienae d. IX. August. A. R. S.

MDCCLXX.

